J. J.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MORBO REGIO

SEU

ICTERO,

Quam

Adſpirante Div. Numinis Gratia,

DECRETO & AUCTORITATE

GRATIOSÆ

FACULTATIS MEDICÆ,

In Alma Argentoratenſium Univerſitate

PRO LICENTIA,

SUMMOS HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

SOLENNI Philiatrorum Cenſuræ

exhibet

JOH. DANIEL SALTZMANN Argent.

Ad d. 31. Decemb. M DCC X.

horis locoque conſuetis.

ARGENTORATI Literis JOHANNIS WELPERI.

5

ILLUSTRI LIBERALITATIS OTTONIANÆ DNN. DIRIBITORUM COLLEGIO.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, MAXIME REVERENDIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS AC SPECTATISSIMIS.

MÆCENATIBUS SUIS MAXIMIS

Theſes haſce Inaugurales

devota

qua par eſt, animi ſubmiſſione

D. D. D.

Joh. Daniel Saltzmann.

B. C. D.

Prooemium.

HOminem qui exacte conſiderat, facile deprehendet, ejus incolumitatem potiſſimum in motu, & variorum humorum ſecretione & excretione conſiſtere, hasque excretiones eum in finem inſtitui, ut ad putredinem maxime pronum hominis corpus à deſtructiva reſolutione præcaveatur: quare humorum ſecretorum quidam ſtatim per certa

excretoria è corpore excernuntur, ne ſua diuturniore mora noxam inferant, quales ſunt ſudor, urina, mucus &c. quidam vero quamvis per colatoria organa ſecreti ſint, adhuc in corporis emolumentum cedunt, & ob hanc cauſam in certas cavitates infunduntur. Inter hoſce humores non ultimum locum obtinet bilis, quippe quæ ad naturalem corporis conſervationem quam maxime confert, quia maximam partem conſtat ex particulis balſamicis, chylum ad fermentationem putredinoſam maxime proclivem, in primis viis loco ad ſuſcipiendam putredinem apto, ita condit, ut absque ulla noxa aut periculoſa alteratione, per venas lacteas, ductum thoracicum in venam ſubclaviam infuſus cum ſanguine miſceri & in ſangninem converti queat. Sanguini autem mixta bilis fluxilitatem, in qua fundamentum vitalitatis potiſſimum conſiſtit, conſervat, ut vim ſtimulandi inteſtina ad excretionem ſeu motum periſtalticum promovendi, aliosque

uſus ſilentio prætereamus; ſed quot commoda à bile laudabili, tot mala à malê conſtituta in corpus redundant, quæ in ſtatu naturali corporis eſt medicina, in ſtatu præternaturali corporis eſt venenum, cujus rei certiſſimum exemplum habemus in effuſione nimia imprimis poſt iram & alias fortiores commotiones, unde vel Diarrhœa bilioſa, vel cholera malum periculoſiſſimum, vel febres bilioſæ, deliriis, calore maximo, & non raro inflammatione duodeni & pylori lethali ſtipatæ, vel convulſiones, vel alia graviora mala ſequuntur. Hiſce incommodis non minora ſunt, quæ ejus fluxum ad inteſtina impediunt, quod exemplo ICTERI præſenti Diſſertatione Inaugurali probare conſtitui, cui propoſito ut Supremum Numen gratia adeſſe velit ſupplex rogo.

Theſis I.

Etymologia. Quamvis nomina rerum ſint ſigna, minime tamen prolixus in quærenda ὀνοματολογίᾳ ero, ſed paucis Icteri denominationem dicam, vel ab animali quadrupede Græcis ἰκτὶς, Lat. Viverra, Germ. Iltis dicto, vel ab ave quæ ἰκτῖν, Lat. Milvus, Germ. der Hüner-Dieb appellatur, ortum eſſe. Viverra enim oculis aurei coloris, Milvus autem pedibus & pennis flavis, imprimis in inferiore corporis parte præditus eſt, unde cum Ictericorum oculi non tantum, ſed & totum corpus flavo colore tinctum ſit, ob ſimilitudinem hancce coloris in Viverra, Milvo & Ictericis, Icteri nomen noſtro morbo impoſitum eſt. Quamvis nonnulli exiſtiment eum ab ave ἴκτερος, Lat. Galbula dicta, nomen accepiſſe, ideo quia Icterici ave hac conſpecta curentur, avis autem moriatur.

Theſis II.

Synonymia. Non tamen ab omnibus Icteri nomen affectui

noſtro

noſtro imponitur, nam quibusdam Aurigo, ab aureo quo totum corpus tingitur colore, vocatur; Aliis Regius Morbus dicitur, quod juxta *Cornelium Celſum l. 3. c. 24.* exercitatione, frictione, balneo, lecto, conclavi cultiore, ludis, laſcivia, per quæ mens exhilaretur, curetur: hinc eleganter Q. Serenus Sammonicus cecinit.

Regius eſt vero ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celſa curatur in aula.

Aliis teſte eodem *Corn. Celſo* Morbus Arcuatus dicitur, forſan ob aliqualem ſimilitudinem coloris flavi cum arcu cœleſti, quem quoque ſecutus eſt *Rolfin. Conſ. Med, lib. 8. conſ. 1. p. 690.* Noſtratibus die Gilb / aliis die Geel- oder Gelbſucht / aut etiam die Miß-Farb audit.

Theſis III.

Licet autem Icterus affectus per ſe ſatis cognitus ſit, nec ampla deſcriptione opus habeat, commodum tamen videtur brevem ejus deſcriptionem præmittere. Ab inſtitutionum ſcriptoribus & aliis qui morbos ac ſymptomata à ſe invicem diſtinguunt, definitur: quod ſit ſymptoma qualitatis mutatæ viſibilis ortum à bilis in habitum corporis effuſione trahens, & hoc ſymptoma dependere à morbo conformationis, obſtructione ſcil. hepatis: quibus tamen lis moveri poſſet, ex eo fundamento, quod quia plurium ſimul partium hepatis v. g. Lienis, Ventriculi &c. actiones læduntur, etiam ad actiones læſas referri poſſit, imo poſſet quoque definiri Definitio.

per

per ſymptoma excretorum & retentorum, nam bilis fluxus ſæpius ad inteſtina ſuppreſſus eſt. Quoniam autem hæ controverſiæ parum utilitatis in praxi habent, me immiſcere nolo, mihi ſufficit verbo innuiſſe, Icterum eſſe affectum p. n. in quo totum corpus colore luteo & interdum obſcure flavo aut plumbeo tingitur, à regurgitatione bilis ſequente hepatis obſtructionem, à bilis exaltatione in M. S. ortum.

Theſis IV.

Pars affecta.

Partem affectam conſtituunt omnes partes externæ, quamvis nec internas ab hac labe immunes maneant; inter partes externas viſui obvias potiſſimum eminent oculi, horum tunica albuginea primum omnium colore flavo tingitur. Oculos cutis excipit, ſed cum hæc diverſis conſtet partibus, cuticula, cute proprie ſic dicta & corpore reticulari cutim & cuticulam intercedente, merito quæritur, quæ nam ex hiſce partibus ſubjectum ſit Icteri. Cuticulam quod attinet, cum ea admodum ſit tenuis & ex multis tenuiſſimis ſquamulis compoſita, ac vaſculis inſuper deſtituatur, ſubjectum Icteri eſſe nequit; potius huic ſubſtituitur corpus illud reticulare, cuticulæ immediate ſubjacens quippe quod in æthiopibus ſubjectum eſt nigredinis; cutis tamen non excludenda eſt, quia in ea reperiuntur arteriolæ capillares materiam bilioſam cum ſanguine afferentes, à quibus cutis tandem tingitur. Inter partes internas potiſſimum occupant locum viſcera bilis ſecretioni inſervientia, hepar ſcil. ac lien, hiſce obſtructis contingit talis bilis regurgitatio ad M. S.

Theſis

Theſis V.

Quamvis autem horum viſcerum obſtructio ſæpius ſit cauſa Icteri uti id ex variis obſervationibus conſtat, de quibus vid. *Ettmüll. Tom. II. p.* 506. hæc autem obſtructio modo in ipſis glandulis & extremitatibus vaſorum, modo in ipſis mediis bilariis ductibus contingit, & hoc modo repletis ductibus bilis, è Venæ Portæ ramificationibus ſecretoriis in ramos Venæ Cavæ exceptorios tranſit & in ſanguinem regurgitat, talis autem obſtructio unica cauſa Icteri eſſe nequit, quia 1. non ſemper hepatis obſtructionem inſequitur Icterus *vid. Williſ. Pharm. Rat. Part. II. Sect. II. c.* 1. *conf. Pechlin.* qui *l.* 1. *obſ.* 58. Icterum ſine obſtructione folliculi fellei & obſtructionem ejus ſine Ictero obſervavit, 2. Quia multi ægri occurrunt, quorum alvus eſt aperta & feces bilioſo colore ſunt tinctæ, qui nihilominus Ictero laborant. 3. Quia à viperis aut aliis animantibus demorſi ſæpius in eo momento Ictero corripiuntur. Cum itaque ex allegatis rationibus pateat nec ſemper adeſſe obſtructionem, nec etiam hepar poſt venenum receptum adeo cito obſtrui poſſe, ſtatuendum eſſe puto, interdum Icteri cauſam eſſe obſtructionem hepatis, interdum vero ſanguinis lympham ita alterari, absque ulla hepatis obſtructione, ut corpus flavo colore tingere poſſit, ad quam lymphæ exaltationem particulas bilis copioſas in ſanguine contentas, multum & quidem maxime conferre poſſe, credibile eſt,

Cauſa proxima.

Theſis VI.

Hiſce autem cauſis variæ ſunt quæ anſam dant

Cauſæ mediatæ.

cauſæ, ex quibus non proſtremæ ſunt ſanguis ex quo bilis ſecernitur, & ipſa ſtructura Venæ Portæ materiam bilioſam afferentis. Sanguinem quod attinet, venoſus eſt, & à liene, ventriculo, inteſtinis &c. refluus particulis lymphaticis in inteſtinis maxime orbatus & hinc ob craſſitiem ad ſtagnationem admodum pronus, cui accedit tardus admodum motus per Venam Portæ, cum in hac nullum detur movens aut propellens ſanguinem uti in arteriis & nihilominus ſanguis hujus Venæ, primo ex minoribus ramificationibus in majores & ex his deinde in minores diſtribuatur, per ſe patet quam facillime hiſce in locis obſtructio & viſcerum infarctus contingere queat, hinc etiam ſi non omnium plurimorum tamen chronicorum morborum ſedes in hac Vena Portæ quærenda eſt: quod etiam veteres agnoverunt, & hanc ob cauſam adeo frequenter infarctum vaſorum meſeraicorum accuſarunt, & licet in quibusdam morbis chronicis, e. g. quartana, à principio morbi nulla labes viſcerum annexorum Venæ Portæ occurrat, facile tamen poſtea ſuperveniat, quod ſcirrhi lienis, hepatis non adeo in frequentes morborum chronicorum comites ſatis ſuperque teſtantur. Eo facilius ejusmodi obſtructiones contingunt, ſi M. S. ob quascunque cauſas externas, internas, naturales, p. n. viſciditatem quandam acquiſivit & ita natura ſua ad tardiorem motum & ſtagnationem prona eſt.

Theſis VII.

Præter haſce cauſas aliæ adhuc dantur obſtructionem & bilis exaltationem producentes, ad quas perti-

pertinent ſpaſmi, materia mucoſa viſcida, calculi, ſcirrhi, venena &c. A ſpaſmis Icterum oriri poſſe nemo forſan dubitabit, qui omnes fere partes corporis ſpaſmo obnoxias eſſe novit, ſi itaque ſpaſmo corripiuntur ductus bilarii à quacunque cauſa oriente, aut ipſa quoque inteſtina, bilis naturalis effluxus ad ea impeditur & bilis refluere cogitur, patet exinde quod colicæ hyſtericæ, quæ affectus ſpasmodicus eſt, frequenter admodum Icterus jungatur, annotante *Sydenham. p.* 268. Pariter à cruditatibus primarum viarum viſcidis aut muco ſæpius ductus bilarii in inſertione obſtruuntur & Icterus producitur. Frequenter talis obſtructio ortum trahit à calculis ex bile concreta natis, ductum veſiculæ obſtruentibus, & bilis effluxum impedientibus, *vid. Schenck l.* 3. *Part. II. obſ.* 70. ubi plura admiranda de calculis veſicæ felleæ habet ut & *Ettmüll. loc. alleg.* Hi calculi nonnunquam è ductu veſiculæ felleæ expulſi per alvum ſecernuntur *vid. Acta Hafnienſ. vol.* 5. *obſ.* 65. *conf. M. N. C. Dec.* 1. *ann.* 4. *&* 5. *obſ.* 99. ubi Princeps quædam Icterica, ultra centum grandines flavas inſtar nucis avellanæ excrevit, & hinc optime ſeſe habuit; idem Icterus oritur ſi ob ſcirrhum bilis ſecretio & excretio ad inteſtina impeditur, de quo ſcirrho non ſolum hepatis ſed & lienis ac pancreatis & inde dependente Ictero inſignem legere licet obſervationem *in Act. Hafn vol.* 3. *obſ.* 28. *p.* 59.

Theſis VIII.

Sæpiſſime etiam Icterus excipit febres tam intermittentes, quam continuas, de Ictero febri intermittenti juncto ſequens exemplum mihi Celebris

Practicus hujus loci retulit. Fœmina quinquaginta ſex circiter annorum corripiebatur æſtate præterita febre tertiana cum ſpaſmis artuum, faciei ac dorſi maximis, ludebatur hoc ſcena aliquoties per totum paroxiſmum durantibus ſpaſmis, tandem exhibitis ſalibus, digeſtivis, quartum ni fallor paroxiſmum excipiebat Icterus, ita quidem ut totum corpus flaveſceret, quo ipſo apparente omnino dolores, febris autem quinto paroxiſmo ceſſabat. Eundem affectum ſequi etiam febres continuas, præter quotidianam experientiam teſtatur *Sydenham p.* 283. *Riedlinus Cur. Med. obſ.* 747. *p.* 465. Icterum ſequi ulcera crurum antiqua occluſa, teſtatur, *Ettmüll. loc. cit.* Pariter excipit hydropem à vitio hepatis dependentem, quod teſtatur præter alia obſervatio Celebris antea citati Practici; fœmina quædam mediæ ætatis fluori albo alias obnoxia, corripiebatur antea ſuppreſſione menſium, quam excipiebat tumor pedum ſenſim ad abdomen aſcendens, qui tamen evacuata magna ſeri portione per remedia diuretica ſenſim ceſſabat, ſummê tamen debilis & proma ad diarrhœas erat, tandem accedebat Icterus, cujus tamen nulla in urina apparebant indicia, hæc enim maxime limpida & fere aquoſa erat, cum ſedimento albo tenuiſſimo ad inſtar oc. 69. ppt. denique corripiebatur aliquoties convulſionibus; quæ iterum ceſſabant, poſt aliquot ſeptimanas denuo convulſionibus correpta, fatis ceſſabat. Hoc autem notabile erat quod antequam convulſionibus corriperetur corpus non adeo flavo colore tinctum eſſet, quam poſt eas, manifeſto indicio convulſiones haſce ortum traxiſſe

à bile

à bile nimis acri. Porro ex numero cauſarum huc ſpectant etiam venena, ſive ea intra corpus aſſumantur, ſive extra immitantur, ſic morſum viperarum excipere Icterum plures obſervationum Scriptores teſtantur, imo morſum ſciuri ſecutum eſſe ex M. N. C. Dec. II. an. 9. p. 224. patet.

Theſis IX.

Proximioribus hiſce cauſis accenſeri merentur aliæ remotiores & quidem primo naturales, ubi deprehendimus eos qui temperamenti ſunt cholerici & macilenti facile hoc malo corripi, quoniam eorum ſanguis naturaliter multis particulis bilioſis eſt repletus ac inſuper pauco ſero dilutus, nec etiam excludendum eſt temperamentum phlegmaticum ad obſtructiones maxime pronum. Cauſæ remotæ.

Theſis X.

Ex cauſis non naturalibus huc pertinent ea, quæ copioſa bile corpus replere & obſtructiones bilisque varias alterationes producere poſſunt; primum locum ex his tribuimus aeri calidiori, quippe qui non ſolum tranſpirationem maxime promovens ſanguinem ſero debito privat, ſed & inſpiratus ſanguinem maxime exagitat & calorem magis quam par eſt ipſi conciliat. Ipſe aer humidus imprimis ſi frigiditas eſt conjuncta ad Icteri productionem concurrit quatenus obſtructiones facile producere poteſt. Ex Cibis huc ſpectant nimis aromatiſati qui ſanguinem nimis accendunt & bilis proventum augent, ut et facile corruptibiles, uti ſunt omnia nimis pinguia, dulcia, mellita, ſaccharata, non excluſis aliis viſci-

dis & difficilioris digeſtionis aut magna quantitate & tempore inconvenienti aſſumptis, ſiquidem non in chylũ laudabilem,ſed dum copia primis viis ſunt moleſti, nec cõmode digeruntur,ſæpius abeunt in liquamen bilioſum, non ſolum Icteri, ſed & multorum aliorum morborum cauſa eſſe poſſunt, imprimis autem cibi nimia copia aſſũpti,flatulenti,aut qui facile in primis viis corrũpuntur, dum fermentationem vitioſam ſubeunt, & inteſtina præter motum diſtendunt, hoc modo ſanguinis motum in vaſis meſeraicis retardant, & eum ad ſtagnationem diſponunt. Symbolum ad productionem Icteri confert potus, tam quantitate quã qualitate peccans,imprimis vina calidiora Hiſpanica ſcil. & Gallica, aut ex hiſce parati varii ſpiritus, tam ſimplices quam ex variis aromaticis compoſiti, quos Galli *Liqueurs* vocant, hi enim ſanguinem accendere & ad bilioſam naturam deducere apti nati ſunt, id quod patet in iis qui & vino & hiſce liquoribus abutuntur, diſponuntur ad varios morbos calidos & ad iram maxime proni redduntur, imo multi antea phlegmatico temperamento gaudentes ob horum abuſum tandem cholerici evadunt. Huc ſpectant etiam cereviſiæ & vina non rite defæcata, quæ particulas fermentitias ad inteſtina deponunt & ſic variis fermentationibus vitioſis indeque dependentibus obſtructionibus aliisque incommodis, anſam præbent, ut aquas turbidas, paluſtres aliasque pravæ notæ ſilentio prætereamus. Et inediæ quoq; ſuus debetur locus inter cauſas remotas, ſanguis enim dum continuo motu per corpus moveatur ac in variis colatoriis hic ſerum magis inſipidum, illic magis

magis ſalſum, & in aliis alias particulas deponat, jugi hoc ac continuo motu non ſolum maxime incaleſcit, ſed & ſero privatur, unde remedio opus eſt, ut ſerum reſtituatur & calor mitigetur, præſtat autem hoc chylus & lympha continuo per ductum thoracicum affluens: cum vero chylus originem trahat ab aſſumptis per ſe patet, in inedia diuturna, ubi nulla aſſumuntur alimenta, ſanguinem ob defectum chyli neceſſario reddi magis calidum & bilioſum. Non parum etiam conferunt exercitationes nimiæ, labores & motus vehementiores æſtuante præprimis ſole inſtituti, ſic ſanguis fervidior redditur, imò ipſe motus deficiens præcipue in illis qui largius alimenta aſſumunt, ſæpius in cauſa eſt ut Icterus oriatur cum enim ad digeſtionem quam maxime conferat motus, patet hoc deficiente chylum reddi torpidum & ad obſtruendos ductus maxime aptum. Pari modo concurrunt Vigiliæ nimiæ ſanguinem accendentes, ut & Somnus nimius imprimis poſt prandium torporem humoribus incutiens, ut eo citius obſtructiones parere queant. Imprimis autem Animi Pathemata maxime ad Icteri generationem maxime conferunt; primum inter hæc obtinet locum Ira, furor ille brevis, & digeſtionum turbatur, eo facilius autem Icterum producit, ſi ventriculus cibis eſt repletus, ſic enim non ſolum copioſior fit effuſio bilis, ſed & ea ab ira maxime agitata & chylo mixta huic ſimilem vitioſam qualitatem imprimit, ipſe particulæ bilioſæ in M S. contentæ magis efferæ redduntur. Notabile hujus rei recenſet exemplum *River, Cent.* 2. *obſ.* 9. de gravida, quæ circa finem ſepti-

mi

mi menſis in iram vehementiſſimam concitata fuit, ſequente die mane vomitu cum dolore ſtomachi ac tandem Ictero corripiebatur. In hoc autem Ictero tria peculiaria obſervantur, primum erat, quod in lecto color faciei & totius corporis remiſſam admodum flavedinem referebat, cum vero ſurgeret & ſeſe aliquantulum moveret, intenſius multô & quaſi derepente flaveſcebat, alterum erat quod alvus non adſtricta, ſed potius liquida & bilioſa erat, tertium erat quod urina licet maxime rubra, lintea non tingebat. Triſtitia quamvis pathema iræ maxime contrarium ſimiliter Icterum produce valet, quatenus humores figit & ſecretiones impedit; dum enim hoc modo bilis fixa magis redditur facillimo negotio lentore ſuo hepatis obſtructionem producere poteſt. Tandem quoque Excretiones & imprimis hæmorrhagiæ, naturales ſuppreſſæ, maxime quoque conferre poſſunt ad Icteri productionem, ita v. g. non raro virgines ſuppreſſione menſium laborantes, non cachexia tantum ſed & Ictero corripiuntur, cujus rei duo exempla allegat *Ettmüll. T. 2. p. 507. ex Barth. Cent. 5. Hiſt. 62 & ex Henr. ab Heer obſ. 6. Conf. Schenck, P. III. obſ.* 30. *p.* 785. qui Icteri quadruplicis coloris à menſium obſtructione mentionem facit. Idem etiam contingere poſſe ob hæmorrhoides ſuppreſſas nemo forſan negabit, cum utriusque hujus fluxus eadem ſit ratio, idemque finis, conſervatio ſcil. ſanitatis, per excretionem ſanguinis quantitate & qualitate moleſtas.

Theſis XI.

Signa diagnoſtica (a) Icteri flavi.

Cum in cognoſcendo ac præſagiendo potiſſimum Medi-

Medici Practici officium conſiſtat paucis quoque ſigna Diagnoſtica & Prognoſtica perluſtrabimus: & ut eo meliore ordine procedamus, ab iminente incipiamus & progrediemur ad præſentem Icterum confirmatum. Licet autem non omnis Icterus certa & infallibilia habeat ſympt. antecedentia, & is nõ raro ſubito oriatur, obſervatum tamen eſt ſæpius Icterum præcedere dolorẽ compreſſivum præcordiorum & imprimis hypochondrii dextri. Imo Hertod annotavit in *M. N. C. Dec. I. Ann.* 4. *&* 5. *obſ.* 99. in Principe quadam ſcorbutica inexplicabiles dolores ventriculi, cum ſum̃a præcordiorum anguſtia quam ſequebatur frigus intenſiſſimum, ſubſequente pauco calore per modicum tempus durante, totum corpus occupante, & ſingulis diebus ad noctem repetente, quibus tandem adjungebatur Icterus graviſſimus, cum dolore dextri hypochondrii ſine ulla inflatione aut tumore. Succedit hinc & obſervatur primo in oculis color flavus, qui ab initio tempora, & ſucceſſive totum corpus eodem colore tingit: quare autem in oculis potiſſimum flavedo obſervetur, ratio eſt, quia reſpectu aliarum partium magis ſunt albi, hinc eo facilius coloris mutatio in iis obſervari poteſt, ob hanc ipſam majorem oculorum flavedinem quibusdam oculorum acies eſt obtuſa vid. *Hiſt. Morb. Urat. p.* 15. quoniam ob poros corneæ à particulis bilioſis obſtructos radii neque penetrare neque debitis coloribus imagines ornatas ſiſtere queunt, unde in quibusdam dolor capitis, ſitis, amarities oris: quamvis nonulli dẽtur quib9 ſapor optime conſtat, interdum etiam adeſt ardor ventriculi vid. *Riedlin. Cur. Med. obſ.* 701. *p.* 436.

C omnia-

omniaque flava apparent: Non raro quoque pruritus præcipue dorſi cum inſigni ariditate & ſcabritie corporis individuus Icteri comes eſt, etiam ipſa reſpiratio poſt motum fortiorem redditur difficilis; admiratione enim dignum eſt quod *Schenck. l. 3. P. II. obſ.* 80. annotavit, in fœmina, in qua ungues, crines extremæ, fulvo & aureo colore fuerunt. Flavedo non ſolum in externis partibus ſubſiſtit, ſed altius penetrat. Medici Uratislavienſes etiam venas ſub lingua flavo colore tincto deprehenderunt, & quod omne dubium tollit, quod cadavera Ictericorum diſſecta viſcera croceo colore tincta exhibuerint, & quod ſi non omnium plerorumque tamen Ictericorum urina adeo tincta appareat, ut etiam linteamina intincta flavedine non adeo facile tollenda imbuat, ſputa quoque tincta & ſanguinem ejusdem coloris annotavit *Schenck. l. a. obſ.* 81. *conf. Zvvinger. Theatr. Prax. P. II. p.* 3. Qui in fœmina quadam ſumme Icterica conſpexit ſanguinem & urinã, quam craſſam emiſit, ſibi invicem ſimilia fuiſſe, poſt quindecim dies ſanguinem V. S. extractum maxime rubicundum & flavum extitiſſe. Fœces præcipue ſi ab obſtructione hepatis Icterus oritur, colore naturali bilioſo ſæpius non tinguntur, ſed potius albidæ ac duræ excernuntur. Non pauci tamen dantur quibus alvus eſt lubrica, aut etiam qui excrementa bilioſa copioſa deponunt, manifeſto indicio, hepar non eſſe obſtructum, imo interdum calculos flavos, quales in veſicula fellea non raro deprehenduntur, cum euphoria excerni, ex ſuperius allegatis obſervationibus conſtat, & hi ipſi Ictero calculoſo laborantes majorem

jorem præ cæteris ſentiunt dolorem, imo ardorem profundum in hypochondrio dextro, idem dolor, ubi inflammatio quædam adeſt, magis auctus obſervatur, morbus etiam cito terminabitur: remiſſior vero, magis obtuſus & diuturnior eſt, ubi à ſcirrho Icterus dependet. Color flavus in Ictero etiam humoribus extravaſatis communicatur quod confirmat obſervatio in *M. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 4. *&* 5. *obſ.* 194. hac teſte Sylvius Ictericum in cujus abdomine inſignem quantitatem ſeroſi humoris invenit, obſervavit, qui in magna quantitate ſpectatus ruber in parva vero flavus videbatur, eodem plane modo ac ſi croco tinctus fuiſſet, ſilentio quoque non prætereunda eſt febris interdum Ictero juncta, quæ lenta eſt teſte *Hipp. l.* 3. *de Morbis Sect.* 12. *text.* 7. Cum ſupra dictum fuerit Icterum vel à bile viſcida obſtructionem pariente, vel à bile acri exaltata originem trahere ſigna diſtinctiva tradenda ſunt, quo hiſce accurate diſtinctis curatio poſtmodum juxta Regulas Medicas inſtitui poteſt; ſigna itaque Icteri à viſciditate & obſtructione ſunt, lingua alba, humida, inappetentia, debilitas virium, pauca vel nulla febris, flatus ingentes poſt paſtum, quibus accedunt cauſæ ſuperius allegatæ ad congerendas viſciditates aptæ. Icteri vero à bile acri, tenui, ſigna ſunt, ſitis cum aliquali linguæ ſiccitate, ardor, calor, & tenſio hypochondriorum, in pulſu aliqualis mutatio, temperamentum cholericum & macies ægroti, quibus jungenda eſt diæta calida ſuperius tradita: vid. *Baglivi oper. p.* 83. Superius quoque mentio facta eſt febribus ſupervenientis Icteri, qui duplex eſt Criticus & Symptomaticus,

 ille

ille dignoſcitur ſi prægreſſis ſignis coctionis, die critico & cum euphoria ægri oriatur, hic vero contrario modo ſeſe habens, vel à materiæ morbificæ copia, vel ab ejusdem acrimonia & malignitate naturam ad excretionem ſtimulante dependet.

Theſis XII.

Signa Diagnoſtica (b) Icteri nigri.

Ne vero Icteri nigri diagnoſin neglexiſſe videar, paucis verbis eam tradam. Icterus flavus diutius durans, ſenſim colore obſcuriore reddito tandem in Icterum nigrum degenerat, quamvis huncce colorem ſine Ictero oriri poſſe experientia teſtetur. Sæpius ille excipit febres quartanas diuturniores cum viſcerum obſtructione conjunctas. In hoc Ictero uti in flavo oculi & corpus plumbeo & nigricante colore tingitur, ejusdem coloris interdum eſt ſputum & excrementa alvi, nonnunquam in his nulla prorſus mutatio occurrit: urina quoque, licet interdum à ſtatu naturali parum abeat, ut plurimum tamen juſto plus ſaturata & obſcure flaveſcente ac nigricante colore emittitur, præterea plus juſto craſſa eſt, & quandoque clara, obſcure tamen perſpicua, & cum ſedimento croceo nigricante obſervata fuit, nunquam tamen, etiamſi clara ſit nubeculam ſuſpenſam ceu coctionis ſignum præbet, vid. *Zvving. Theatr. Prax. P. II. p.* 9. Ægroti præterea pondus & gravitatem in ſiniſtro hypochondrio ſentiunt, & tactu etiam tumor quidam ibi deprehenditur, vid. *Hiſt. Morb. Ur. p.* 204. & ideò Veteres non adeo abſurdi fuere, uti quidam Recentiorum volunt, quando lienem in Ictero nigro accuſarunt, ſed in eo erra-runt, quod bilem atram in liene elaboratam pro

vera

vera Icteri cauſa agnoverint. Appetitum proſtratum, ſiccitatem oris aliaque còmmunia ſymptomata Icterus niger cum flavo habet, tanta tamen hic non deprehenditur membrorum gravitas quam in Ictero flavo: ventris quoq; tormina ac boborygmos, rugitus, non raro ægri perſentiunt. Si vero juxta animi pathemata Ictero nigro laborantes conſideramus, triſtes taciturni & moroſi, & hinc omnibus fere moleſti ſunt.

Theſis XIII.

Ad Prognoſin Icteri rite inſtituendam tria nobis occurrunt, Eventus, Tempus Eventus & modus Eventus: Eventum quod attinet, licet Icterus *ab Hipp. de Morbis l. 3. Sect.* 12. *text.* 2. acutus & cito occidens pronuncietur, cum diſtinctione tamen id admittendum eſt, ſiquidem magna periculi differentia cauſarum & adjunctorum ſymptomatum reſpectu deprehenditur: periculoſior enim eſt qui â veneno, ab inflammatione & qui ſymptomaticus in febre obſervatur, cito enim ægrum jugulat, imprimis ſi ſymptomaticus ante diem ſeptimum ægrum invadit, *teſte Hipp. Sect.* 4. *aph.* 62. Quibus per febres Morbus Regius ante ſeptimum diem ſupervenerit, malum, quamvis non pauca exempla Icteri ſupervenientis ante ſeptimum diem ſalutariter repeŕiantur, *teſte Holler. Coment.* ad antea alleg. aphor. non tamen ſalutarem fuiſſe, niſi iis, quibus ſanguis è naribus profluxiſſet, aut vomitus vel dejectio vel urina erupiſſet, idque juſta ac copioſa evacuatione & virium robore. Icterus è contra Criticus die ſeptimo, nono, undecimo, vel decimo quarto fe- **Prognoſis.**

bribus acutis ſuperveniens bonus ominatur, juxta *Hipp. Sect.* 4. *aph.* 64. niſi dextrum hypochondrium durum fuerit, conf. *Hipp. de Criſ. Sect.* 3. *text.* 5. & niſi cum rigore ante ſeptimum diem invadat teſte Hippocrate: in febre bilioſa ante ſeptimum diem cum rigore Morbus Regius accedens, ſolvit febrem, circa quem textum explicatio omnino legi meretur, quam Doctiſſimus & Optimus *Hippocr. Coment. Proſper Martianus* conſignavit, quæ etſi doctiſſima & maxime neceſſaria ſit, hîc ob prolixitatẽ trahere nequeo; è quibus apparet, Icteri acutis ſupervenientis præſagium fallax admodum eſſe, conf. *Schenck. l. a. obſ.* 83. Pariter gravior eſt Icterus qui à calculo atque ſcirrho hepatis & lienis dependet, quia hujusmodi vitia rariſſime medicamentis cedunt, niſi forſan calculi beneficio naturæ per anum, uti ex ſupra allegatis obſervationibus patet, ejiciantur. Icterus autem à primarum viarum ſaburra aut tantum levi hepatis obſtructione parum vel nihil periculi portendit, ſi rite tractetur. Niger præ flavo majus periculum habet, uterque ſi febris lenta ipſis jungatur, ſatis periculoſus eſt. Inveteratus porro cæteris paribus, majori periculo ægros imprimis ſenes, ſubjicit, quam recens. Quod tempus durationis & Eventus attinet, modo citius modo tardius ceſſat, ita qui febribus ſupervenit ſæpius ſpatio viginti quatuor horarum finitur, pari modo ac is qui à veneno provenit. Qui vero ab obſtructione aut ſcirrho hepatis dependet, chronicus admodum eſt; qui à calculis veſiculam felleam obſtruentibus provenit, interdum quidem cito ceſſat calculis nimirum expulſis, ſed ægri facile

in recidivam incurrunt; ſi vero fortius impacti ſint calculi diu admodum durat. Icterus interdum adeo eſt contumax, ut non niſi poſt plures annos curetur, & id eo magis contingit ſi niger fuerit: hic enim magis chronicus eſt quam flavus, cujus rei exemplum habuimus in fœmina hujus loci, quæ, uti mihi relatum eſt, per octo integros annos ad finem vitæ usque Ictero nigro laboravit. Quod tandem modum Eventus attinet, ſolvitur nonnunquam per hæmorrhagiam, & id non raro in febribus contingit, nonnunquam etiam per hæmorrhoides, vid. *Foreſt. l. 19. obſ.* 18. *in Scholiis.* Salutariter quoque primis diebus ceſſat, ſi vomitus vel ſpontaneus vel arte excitatus ſupervenerit. vid. *Riedlin. Cur. Med. obſ.* 735. *p*, 457. ſimilem effectum poſt ſe relinquunt urinæ & ſudoris copioſior profluxus vid. *Riedlin. l. c. obſ.* 398. *p.* 237. Qui fœminam per biennium Ictero nigro laborantem copioſo ſudore in balneo curaſſe refert: ſæpius tamen Icterus uterque in graviſſimos degenerat morbos, ita *Thonerus obſ. Med. l.* 3. *p.* 154. Sæpius quoque Icterum ex ſpiritus vini aliorumque generoſiorum abuſu, & huic ſuccedentem Aſcitem ut plurimum lethalem vidit *Sylvius Prax. Med. lib* 1. *cap.* 46. §. 19. *oper. p. m.* 302. Icteritiam nigram fœditiſſimam tandem in hydropem Aſcitem terminatam teſtatur; pariter Tympanititem poſt Icterum ex aſſumpto per imprudentiam pulvere ſtibiato, lethalem obſervavit *Lotichius obſ. Med. l.* 4. *cap.* 3. *obſ.* 5. *p.* 326. In Tabem & Dyſenteriam etiam lethalem interdum degenerat, teſte eodem *Lotichio l. c. p.* 320.

The-

Theſis XIV.

Cura Icteri. Cum vero morbum cognoviſſe non ſufficiat; ſed etiam à Medico requiratur ut cognitum lege artis curet, paucis quoque Curam Icteri ſubjungam, & quô eô melius procedam Indicationes veris ſuiš fundamentis innixas præmittam. Si cauſas Icteri efficientes reſpiciamus, eum deprehendemus interdum oriri à cruditatibus bilioſis in primis viis hærentibus, & chylum ac ſanguinem conſpurcantibus, nonnunquam vero & quidem ſæpius eum ſequi ſequeſtrationem bilis in hepate læſam, ac denique eum quoq; eſſe productum bilis copioſioris acrioris exaltatæ in M. S. ſive id à venenis ſive ab alia cauſa dependeat, nulla tamen obſtructione in hepate præſente, uti id ex ſuperioribus conſtat. Si ergo juxta haſce cauſas Indicationes formare licet: Prima erit; præſentes cruditates primarum viarum eſſe evacuandas: Secunda: ſequeſtrationem læſam ipſius bilis eſſe reſtituendam: Tertia, acredinem bilis nocivam eſſe temperandam, & per loca convenientia expellendam. Ad hoſce ſcopos omnia remedia quantum fieri poteſt dirigam.

Theſis XV.

Primæ Indicationi inſerviunt, tam Vomitoria quam Purgantia, quippe quæ ſæpius materiam bilioſam removendo cito Icterum quoque ſimul tollunt, cujus rei exemplum habet, *Riedlin. Cur. Med. obſ.* 735. *p.* 437. fœmina quædam Ictero incipiente laborans & pondus in ventriculo ſentiens ſolo exhibito Vomitorio ab Ictero liberata fuit. Et ſane impoſſibile eſt Icte-

Icterum feliciter curare absque vomitoriis, ubi ſcil. in principio morbi ſymptomata ventriculi urgent, dolor gravativus, anxietas præcordiorum, appetitus proſtratus, nauſea &c. Non tamen in quovis Ictero, nec etiam omni tempore conveniunt, itaque in principio Icteri, cum Ventriculi ſymptomatibus ſtipati, minime vero in inveterato à ſcirrho, inflammatione, aut obſtructione graviori dependente, tantum ſunt præſcribenda. Quam infeliciter Vomitoria in Ictero inveterato cedant, patere poteſt ex ſuperius allegata *Lotichii* obſervatione; Nobilis enim matrona, poſtquam diu Ictero conflictata eſſet, ſumpſit medicamentum ♁iatum, unde per biduum, ſupervenientibus gravibus animi deliquiis ἄνω ϗ κάτω violenter dejecit, paulo poſt in Tympaniten lethalem prolapſa eſt. Sunt nonnulli qui vomitoria in Ictero à veneno aſſumpto commendant, ut nimirum venenum è ventriculo evacuetur, ſed ea hoc in caſu minime neceſſaria eſſe quilibet facile perſpicere poteſt, ſi enim venenum in M. S. jamjã penetravit, ſerumque & ſanguinem ita inquinavit, ut Icterum producere potuerit, quomodo quæſo vomitoria venenum è M. S. eliminabunt, ſi tamen ſtatim poſt ſumptum venenum Vomitorium cum juſculis pinguibus exhibetur, ſuo non caret uſu, & effectum optatum in veneno evacuando præſtat.

Theſis XV.

Quamvis autem vomitoria laudabilem effectum edant, idem tamen non eſt ſtatuendum de Purgan-

tibus per inferiora, quia ipſa plerumque noxia ſunt & c orpus magis conturbant, id quod Hippocrates jam ſuo tempore agnovit, unde *de Loc. in Hom. Sect. II* §. 110. ait. Medicamenta bilem ducentia ne propinato ne corpus magis conturbes. Non autem exiſtimandum eſt *Hipp. l. c.* loqui tantum de Chalogogis & eum admittere Phlegmagoga aliaque purgantia, ſed ea eſt mens Hippocratis, nulla prorſus purgantia fortiora corpus conturbantia exhibenda eſſe, id quod patet *ex libr. de Victu Acutorum Sect. LXIV.* ubi Hippocrates mentionem facit eorum, quibus Purgantia non ſunt exhibenda, & iis expreſsè Morbo Regio laborantes annumerat, rationes ſimul adjiciens, quod periculoſa ſint, & nihil opis afferant & ſpontaneas liberationes tollant. Veriſſima autem eſſe hæcce loca Hippocratica, præter experientiam quotidianam ſequentes rationes probant; 1. Quod per purgantia imprimis fortiora ſerum ſanguini detrahatur, quod tamen ad temperandam bilem in ſanguine contentam admodum neceſſarium. 2. Quod detracto ſero bilis acrior reddatur. 3. Quod per purgantia materia bilioſa, ſeu critice ſeu ſymptomatice ad cutim depoſita, revocetur. 4. Quod ſi ab inflammatione Icterus dependeat inflammatio ob irritationem augeatur. Non tamen ex hoc ipſo, omnem prorſus purgantium uſum rejicere animus eſt, ſed tantum probare volo, quanta cautione opus ſit in Purgantibus præſcribendis: mitiora purgantia magnum effectum edunt in hoc affectu, imprimis ſi a-

peri-

perientia ipſis miſceantur, quatenus aperientia majorem vim per purgantia acquirunt, & purgantia aperientibus mixta, ſæpius magis aperiunt, quam purgant. Hæc ipſa tamen blanda purgantia in forma liquida, & præcipue in nodulis exhiberi debent, ut non ſolum purgare ſed & biliosam materiam diluere queant. Purgantia quæ hunc in finem conveniunt, ſunt fol. ſenn. & Rhabarb. Helleborus niger à quibusdam adeo laudatus, nondum in morbis chronicis & obſtructionibus profundioribus præſtitit, quod expectationi ſufficere queat, nec etiam Jalappa, quamvis mite medicamentum ſit, hic magnum uſum præſtat, quia in ſubſtantia exhibita ut plurimum alvi adſtrictionem, in Ictero ſatis frequentem poſt ſe relinquit, nodulis verò addita parum virtutis liquori communicat, nam ejus virtus in reſina, quam neque vinum neque aqua ſolvere queunt, latet. Reliqua autem purgantia vel draſtica nimis, vel effœta ſunt, & ideo hic non quadrant. Liceat hiſce evacuantibus per inferiora etiam ſubjungere Clyſteres, nam horum uſus in Ictero admodum proficuus eſt, quoniam alvi excrementa indurata optime emolliunt, & eorum excretionem promovent: fieri autem poſſunt ex aperientibus & emollientibus (etiamſi ſola emollientia ſufficere queant) v. g. rad. Alth. Malv. Lil. alb. 5. Aperient. Polyp. Herb. 5. Emoll. Flor. Chamom. Verbaſc. Melilot. Semin. Fœn. græc. Lini. &c. quæ ingredientia vel in aq. ſimpl. vel in lacte aut potius in hujus ſero, quod tanquam ſpecificum in Ictero quidam commendant,

 deco-

decoqui, & facta coctione & colatura, iis olea emoll. v. g. lil. alb. chamom. & ſtimuli loco Elect. lenit. aliaque hujus generis addi poſſunt.

Theſis XVII.

Hactenus dicta ſufficere queunt ad primam Indicationem: quod autem ſecundam attinet, ut læſa ſequeſtratio bilis reſtituatur, cum hæc à variis dependeat cauſis diverſa etiam poſtulant remedia. Communiſſima cauſa eſt obſtructio hepatis à bile aliaque cauſa viſcida; ad hanc tollendam optime conveniunt incidentia & aperientia & ea tam ſimplicia quam compoſita. Ex ſimplicibus huc ſpectant variæ radices & herbæ, Rad. 5. aperient. maj. & min. polypod. chin. Herb. agrimon. chelid. maj. chamædr. &c. ex quibus noduli additis quoque purgantibus fieri poſſunt, ſit e. g. ſequens à Venerando Facult. Medicæ Sen. D.D. Scheidio in Coll. Pract. nobis comunicatus ℞. Rad. polyp. Quern. ℥ß. gram. onon. ſarſap. ãã. ʒij. chin. ʒj. Herb. agrimon. Hep. nob. chelid. maj. matriſylv. chamædr. fl. perſic. acac. cent min. ſumit. abſinth. ãã pj. Cort. ☉rant. ℥ß. fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iß. Rhab. el. ℥ß. Agar, ʒij. chalyb. ppt. & in petia ligati ℥j. ſem. naſturt. eruc. coriandr. corr. ãã. ʒiß. Cinam. ac. ʒij. Galang. cardamom. min. ãã. ʒj. caryoph. ʒß. Croc. or. ℈j. Crem. Tartar. ℥ß. ⊖. geniſt. abſinth. ãã. ʒij. M. inc. & cont. g. m. d. ad ſind. rubr. & affundatur Vini albi & aquæ ſimpl. ãã. mß. & ægro

quoti-

quotidie ʒij. l. iij. propinentur. Ejuſdem efficaciæ eſt Decoctum Lindenii ex Rad. cichor. chelid. maj. Herb. endiv. marrub. fragor. fol. ſenn. Tartaro, quod cum fructu Medici Uratiſlavienſes exhibuerunt. vid. *Hiſt. morb. Urat. p.* 16. *Ettmüll. l. a. p.* 517. Imprimis marrub. alb. ex ſimplicibus maxime convenit & ideo etiam à Foreſto eximie laudatur: hujus ſuccum Otto Brunfelſius cum urina propria tanquam ſpecificum maxime commendat. Ut alia ſimplicia hinc inde ab Authoribus laudata ſilentio prætereamus.

Theſis XVIII.

Inter præparata & Compoſita potiſſimum eminent Martialia, quorum Virtus Aperitiva ſatis nota eſt, nec hinc cum quibusdam tantopere metuenda eſt obſtructio, quam ♂lium uſum ſæpius ſequi contendunt. Imprimis ex ♂ialibus huc pertinent Crocus ♂tis aperitivus, ♁. ♂le cachecticum Ludov. quod revera tamen nil niſi Crocus ♂tis eſt, cum hoc coincidit ſpecificum ſtomachicum Poterii: porro ex liquidis huc ſpectant Tinct. ♂t. ⊕l. ♂t. Zwelff. & præcipue Ludoviciana ex Vitr. ♂tis & Cryſtall. Tart. parata, hæc enim reliquas omnes virtute facile ſuperat. Reliqua huc pertinentia ſunt ſalia varii generis tam fixa quam neutra, uti ſunt ⊖. abſinth. Cent. min. onon. geniſt. Arcan. duplic. Cryſtall. Tartar. Cremor. Tart. Terr. fol. Tartar. ⊖. Tartar. & hujus oleum per deliquium, quod quamvis interne non ita frequenter in uſum trahatur,

 retulit

retulit tamen mihi Celebris antea allegatus Practicus oleum hocce pauperculis nonnullis à gtt. 25. ad 30. mane & veſperi optimo cum ſucceſſu dediſſe, & Icterum paucorum dierum ſpatio, nullis aliis remediis adhibitis curaviſſe. Tartarum tartariſatum ad gtt. 80. ſæpius exhibitum, interveniente laxativo & poſt data tinct. ♂t. cydon. optimum deprehenderunt Uratiſlavienſes Medici l. a. Salinis hiſce remediis quoque jungenda ſunt abſorbentia oc. 69. lap. percar. aliaque quæ cum ⊖ibus exhibita laudabilem edunt effectum. Si quis hæc remedia ſub forma potiunculæ ægris exhiberi velit, aq. acetoſ. nob. fragor. hepat. nob. cichor. ſummit. pini aliæque vehiculi loco eſſe poſſunt, quibus ſyr. aperientes edulcorationis gratia addantur. Liceat hiſce remediis addere quæ tanquam ſpecifica laudantur: Vulgus commendat pediculos, quos numero impari cum pane butyto illito, aut etiam cum aliis cibis ægrotis deglutiendos offert. Etſi autem adhibito hocce ſordido remedio Icterus noñunquam ceſſet, alia tamen mala horum uſum ſequi ſolent, vid. *Acta Haffn. Vol.* 3. *&* 4. *obſ.* 91. *p.* 168. puero enim Ictero laboranti ſeptem vel novem ſuaſu Empirici cujusdam exhibiti fuere, unde Icterus quidem ceſſavit, ſed graviora mala ſecuta ſunt, pallor ſcil. voracitas nimia cum atrophia ac tandem mors, ſecto deinde cadavere magnus numerus monſtroſæ magnitudinis pediculorum in unum conglobatorum repertus fuit. Alii cum Helmentio lumbricos & millepedes: alii vero cum Paracelſo omnis generis

ris ſtercora commendant; uti autem prioribus ob ſal aperitivum quod ipſis ineſt ſua conſtat laus, ita poſteriora ceu ſordida tantiſper ad Officinam Paullini Stercoraria ablego, donec hæcce narium & gulæ ſuavia irritamenta quis deſideret.

Theſis XIX.

Si ab inflammatione hepatis dependet Icterus plerumque res periculi plena eſt, quia hepatis inflammatio difficulter admodum curatur. Conveniunt in hoc Ictero lenia diaphoretica cum abſorbentibus & ſalinis mixta, quibus omnis generis diluentia, qualia ſunt juſcula herbis alterata, Emulſiones aliaque ſunt jungenda. Externe non inutiles erunt ſacculi ex diſcutientibus parati hepatis regioni imponendi. A ſcirrho ſi dependent præter interna aperientia ſuperius tradita optime convenit Empl. de cicuta, egregium remedium in ſcirrhis tam hepatis quam lienis reſolvendis. Pariter eadem incidentia & lenia purgantia in Ictero à calculo orto, proſunt, quippe quæ non ſolum calculorum excretionem ductum cholidochum ſtimulando promovent, ſed etiam bilem viſcidam proximam calculorum cauſam incidunt, & ulteriorem eorum proventum præcavent.

Theſis XX.

Reſtat ut remedia quoque tertiæ indicationi

ſatis-

ſatisfacientia ſubjungamus, quo bilis acrimonia in M. S. temperetur & bilis per loca convenientia evacuetur. Ad temperandam bilem imprimis conveniunt Emulſiones ex ſeminibus frigidis paratæ, quibus pro re nata lenia diaphoretica atque Alexipharmaca, præcipue in Ictero à veneno dependente, addi poſſunt, v. g. ſeq. Emulſionem commendat *Ettmüll. l. a. p.* 515. ℞. Sem. aquileg. ℥ß. ad ʒvj. c. ſ. q. ▽. fl. aquileg. & chelid. maj. f. Emulſ. Colat. ℥vj. adde ebor. ſ. △. ʒj. ad ʒiß. M. hujusmodi Emulſiones frequentius uſurpatæ blando ſudore Icterum expellunt, & cutis tincturam flavam ſucceſſive delent. Huc pertinent etiam Gelatinæ præcipue ex C. C. paratæ, ut & decoctum C. C. cum Citro, quippe quæ bilis acredinem egregie mitigant: parem effectum edunt blanda acida, v. g. Decoctum Tamarindorum bilis ardorem optime refrænans & alvum ſimul laxans: ut & Julepi ex ſuccis acidis parati, qui ſitim bilis acrimoniæ ut plurimum junctam reſtinguunt, bilemque ſimul refrænant. Nunquam autem fortia diaphoretica exhibeantur, ne ſerum ſanguini nimis detrahatur & bilis acrimonia augeatur, uti ſuperius jam monitum fuit. Diaphoreticis blandioribus etiam blanda diuretica ſalina jungi poſſunt, de quibus ſuperius jam actum fuit, & imprimis ⦶oſa, ⊕. ſcil. cryſtall. regenerat. & ♂iat. hæc enim optime omnem orgaſmum à bile oriundum ſiſtunt, & bilioſarum particularum tam per Diaphoreſin, quam per Diureſin excretionem promovent.

The-

Theſis XX.

Tandem paucis de remediis externis & Cura Transplantatoria agendum eſt. Remedia externa eo potiſſimum reſpiciunt, ut dolor gravativus hypochondrii dextri mitigetur, ac bilis effuſæ in cutem exhalatio promoveatur, quamvis ſimul alios quoque uſus præſtent. Priori ſcopo inſerviunt fotus emollientes, fiant v. g. ſacculi ex flor. chamom. melilot. ſummit. abſinth. malv. cum toto ãã. M. ſem. aniſ. fœnugr. ſem. lin. ãã. ℥iij. coquantur in aq. communi & ſæpius calide applicentur, vid. *Foreſt. Libr. XIX. Obſ.* 15. Hi ipſi ſacculi quoque convenire poſſunt in Ictero à ſpaſmodica Hepatis obſtructione oriundo, quatenus fibras nimis ſtrictas optime relaxant: eundem effectum habent cerata exterius provide applicata: notatu dignum exemplum de difficultate reſpirationis à ſpaſmodica hepatis contractione orta, quam poſtmodum Icterus excipiebat occurrit *in Hiſt. Morb. Urat. pag.* 17. ubi præter interna anticachectica & antiſpasmodica ceratum exterius applicatum magni fuit uſus, cujus tamen deſcriptio non addita eſt. Quæ vero bilis exhalationem promovent, ſunt frictiones, cucurbitulæ & balnea. Frictiones ideo ſuadentur ut pori cutis eo melius aperiantur ad emittendam bilem tingentem, non tamen frictio oleis aperientibus aut diſcutientibus fieri debet, ſiquidem hoc modo pori magis obſtruuntur, ſolis itaque mani-

bus aut linteaminibus calidis frictio inſtituatur. Cucurbitulæ potiſſimum eo in caſu conveniunt, quando Icterus dependet à morſu animalis venenati, tum enim locus demorſus ſatis profunde eſt ſcarificandus, ac cucurbitulæ cum flamma imponendæ, quo, dum ſanguis in cucurbitulam à pondere aeris externi vi præmitur, ſimul veneni portio exhauriatur. Balnea tandem ad emolliendam cutem & laxandos poros omnium commodiſſima ſunt, non niſi tamen præmiſſis aliis remediis, quæ bilem ad exitum præparare poſſunt, in uſum trahenda ſunt: nec etiam facile in Ictero nigro locum habent, niſi malo ferè eradicato. Ubi E. præmiſſa fuerint convenientia remedia, fiant Balnea ex emollientibus, quibus quoque abſtergentia addi poſſunt, qualia ſunt ſaponar. pariet. bryon. ſigill. ſalomon. furfur. aliaque, ſic enim cutis non ſolum emollitur, ſed & ſordes bilioſæ optimè abſterguntur. Liceat hiſce externis remediis addere curam per Errhina: ſuadet ſcil. *Bagliv. oper. pag.* 83. ut guttæ aliquot cucumeris aſinini, mixtæ cum pauco lacte mulieris per nares trahantur, ſic enim fere incredibiliter per nares Icterum expurgari, quod etiam comprobat *Tozzi prax. p.* 203. aſſerens, ruſticos uſu ſucci cucumeris ſylveſtris naribus appliciti, brevi huic affectui mederi, elicita ſcil. inde maxima copia lymphæ luteo colore ſaturatæ: idem præſtare ſuccum marrubii ex Dioſcoride probat *l. a. p.* 208. An vero hoc modo ſerum bilioſum in cutim effuſum evacuari poſſit, non inepte

quis

quis dubitare poſſet, ſed cum experientiæ Practicorum propriam opponere nequeam, merito acquieſco. Quod Transplantationem Icteri concernit, ea variis modis inſtituitur, ne tamen nimis prolixus ſim, unius vel alterius modi mentionem faciam. Nonnulli ſuadent ut decreſcente luna lotium ægri in panno lineo non loto exceptum nocturno aeri exponatur, donec linteum exſiccet, & id repetendum eodem modo donec Icterus ceſſet. vid. *Act. Haffn. Vol. IV. obſ.* 24. Alii urinam cum farina hordei miſcent exin formant placentas, quas in aquam piſcibus projiciunt, aut cani vel feli devorandas præbent, expertum hocce eſſe experientia Helmontii & Boylei probat *Ettmüll. Tom. II. pag.* 518. ubi alios modos Curæ Magneticæ recenſet.

Theſis XXI.

Ne V. S. omiſiſſe videar, pauca quoque de ea proferam. Laudant eam & inſtituunt quidam, ſecuti ſine dubio Aetium, qui V. S. præcipuum Icteri remedium vocavit, & Theophraſtum curam Icteri per V. S. commendantem vid. *Hiſt. Morb. Urat. p.* 16. verum ſi experientiam & rationem conſulimus, deprehendemus ex centum Ictericis, vix decem eſſe ubi V. S. opus eſt, & eam ægris ſæpius magis nocere, quam prodeſſe, id quod Galenus ſuo tempore jam agnovit, unde *Lib. de Purg. Med. cap.* 2. inquit: Morbo Regio laborantibus, ſi ſanguinem miſeris in perniciem ages. Idem confirmat

etiam *Ettmüll. l. a. pag.* 513. ajens : quoad V. S. ea plane non juvat in Ićtero, utpote quæ magis nocet ac non raro malum exaſperat, quam ut idem tollat. Ut alios Authores V. S. rejicientes ſilentio prætereamus. Et ne gratis hæc aſſerta videantur, quilibet conſiderat, quamnam efficaciam habere queat V. S. in Ićtero à bile viſcida & hepatis obſtructione oriundo, nullo enim modo V. S. ope illa obſtructio tolli poteſt, quacunque etiam in parte inſtituatur. 1. In Ićtero à calculis : quomodo quæſo V. S. calculos ductum bilarium obſtruentes removebit, & qua ratione bilem ad concretionem calculoſam proclivem ita alterabit, ut in poſterum in calculos abire nequeat. 2. In Ićtero à bile abundante aut acri orto : nullo enim modo bilis abundans evacuari, nec etiam bilis vitia V. S. corrigi poſſunt. 3. In Ićtero morſum Viperarum, aut febres excipiente : quamvis enim in his orgaſmum tam febrilem quam à venenò excitatum aliquo modo per V. S temperari vulgo contendant, alia tamen præſto ſunt remedia, ⅅoſa ſcil. atque blanda diaphor. quæ tutius ſiſtunt illum orgaſmum, bilem corrigunt, ac ad excretionem diſponunt. 4. In Ićtero à cruditatibus bilioſis primarum viarum dependente : quid enim V. S. ad horum evacuationem aut ſanguinis bilioſi alterationem conferre poteſt, nihil ſane. Et denique 5. In Ićtero à ſcirrho hepatis orto : cum enim ſcirrhus talis affectus, qui nullum fere amplius commercium cum ſanguine habet, quomodo quæſo V. S. hujusmodi tumorem tol-

tollet. Ne tamen V. S. prorſus rejicere videar, paucis quoque dicam in quo Ictero ea conveniat. Confert autem 1. In Subjectis Plethoricis Ictero correptis, ubi vaſa admodum turgent, metus enim eſt, ne, ſi V. S. omittatur, variæ obſtructiones ſequantur, aut corpus ad Cachexiam, Anaſarcam ob viſciditatem & hanc facile ſequentem ſtagnationem humorum in habitu corporis diſponatur. 2. Neceſſaria in Ictero ab inflammatione hepatis orto: quam ſalutaris enim ſit V. S. in omnibus & imprimis viſcerum inflammationibus Praxis quotidiana & plures Pleuritici V. S. rite & ſæpius inſtituta curati docent. Nec deeſt quoque hujus rei ratio: quoniam enim in omni inflammatione major ad partem affectam eſt affluxus, commodè hoc modo ſanguis revellitur: dari autem ſtante quoque circulatione ſanguinis à parte affecta revulſionem ſano ſenſu ſumptam certiſſimum eſt, quicquid etiam ratiuncularum fabri experientia deſtituti objiciant. 3. In Ictero hepatis vulnus ſequente: quo hæmorrhagia ſi non ſiſtatur tamen iminuatur, imminui autem hæmorrhagias h. m. experientia probat, qua conſtat V. S. in parte parti læſæ adverſa aut ab ea remota inſtitutam notabiliter iminuere hæmorrhagias: ſicque etiam h. m. patet dari ſanguinis revulſionem. De V. S. quando & in quibus caſibus inſtitui debeat, vid. quoque *Foreſtus Lib. XIX. obſ. 19. in Scholiis.*

Theſis XXII.

Ultimo loco pauca quoq; de Diæta tradam: Aer ita-

itaque ſit purus & temperatus, hic enim uti in omnibus fere morbis, ita quoque in Ictero admodum proficuus eſt, quatenus ad humorum fluxilitatem conſervandam eorumque ſecretionem & excretionem promovendam maxime confert. Cibi neque quantitate excedant, neque qualitate peccent, quoniam utroque modo Icterus magis fovetur: juſcula E. tam hordeacea quam alia omnium optima ſunt, quatenus bilis acrimoniam temperant ac alvum apertam ſervant. Potus ſit ex radicibus aper. & imprimis ex rad. gramin. paratus, quo ſolo Icterum in puella ſex annorum ſe curaſſe teſtatur *Straus. in Palæſtra Med. p.* 263. idem quoque præſtat cereviſia tenuis quidem, ſed probe lupulata: potus non adeo parcus ſit, quo bilis acrimonia eo melius infringi queat. Vinum temperatum album in Ictero à bile viſcida orto ceu optimum roborans & aperiens concedi poteſt: ubi vero bilis acrimonia adeſt, aut febris Ictero jungitur, vini uſus vitetur. Aurum, qui Ictericorum potui injicere juſſerunt, ſine dubio non reſpexerunt ad ejus compactam ſubſtantiam, quam ſimplex liquor ſolvere & efficaces auri particulas imbibere nequit: flavus autem auri color, quamvis ſignatura rerum interdum quandam efficatiam habeat, Ictericos parum juvabit. Somnus ſit moderatus, excedens enim humorum viſciditati, deficiens vero eorum fervori anſam præbet. Motus quoque moderatus ſit, hic enim uti excretiones optime promovet ita quoque humorum ſtagnationes & obſtructiones præcavet. Al-

vus

vus ſemper aperta teneatur, tam clyſteribus quam blande laxantibus, quem enim hæcce uſum habeant ex ſuperioribus conſtat. Ira quam maxime vitetur, quippe quæ maximas turbas excitat, eo E. ægri ſemper reſpiciant ut animus ſit tranquillus: ut alia de quibus ſupra, ubi de cauſis egimus, ſilentio prætereamus. *Hæc ſunt B. L. quæ de Ictero conſcribere volui, quæ ſi non omnia adeo accurate tradita, aut quædam omiſſa videntur, inter quæ tamen Icteri Nigri Curatio referri non debet, quippe quæ cum flavi Cura quoad omnia coincidit: adſcribas ingenii mei imbecillitati & paginarum Diſſertationi deſtinatarum anguſtiæ, quæ prolixiorem tractationem non permiſit: ſi vero leviora quædam ſphalmata typographica occurrunt, ut ea benevole corrigas, eſt quod obnixe rogo. Tu vero alme Creator Gentium, qui hactenus gratia tua mihi adſtitiſti ut ſtudia mea Academica ad hunc usq; finem proſequi potuerim, adſis etiam mihi impoſterum, quo omnia cedant in S. S. Nominis Tui Gloriam & proximi ægrotantis ſalutem.*

FINIS.

Et

ET Tu, ſcandendo celebrem SALTZ-
MANNE, *cathedram,*
Ex Medicâ Tibi jus aſſeris Arte novum,
Ut ſummos in eâ poſcas audacter honores;
Pugnandoq; facis, Te meruiſſe, fidem.
Seu ſequeris nos, ſive præis, Chariſſime, *nulla*
In Tibi devotis mentibus invidia eſt.
Quin juvat hâc potius Te ſede videre receptum,
Elogiisque tuis pectora fide favent.
Nam quod amicitiæ nobiscum fœdus iniſti,
Nos ex laude tuâ participare jubet.
Tu ſtudia abſolvens Academica, claudis & Annum;
Quod faxit, felix ut ſit utrumque, DEUS.
Ille ſuum porrò velit adſpirare favorem
Conſiliisque tuis temporibusque novis,
Ut, quod agis, ſemper cedat benè; mutua nobis
Gaudia ſic præſtet ſors tua, noſtra Tibi:

piæ Gratulationis ergo
p.
Trifolium Amicorum.